Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 117

Quelle:
Copyright:

tur pſalmo XXVIII. Init: *Dies Epiphaniorum grego nomine ſic uocatur. Quod enim apparitionem* &c. Citatur nempe in hoc Serm. illud *Pſalmi* 28. *Vox Domini ſuper aquas*. Ceterum ſpurius eſt, et quaerendus *Adpend. col.* 246. 10) *Incipit Sermo Sancti Aguſtini Epiſcopi De Quadragenſime.* Ita: *Moyſes quadraginta diebus* &c. Collocatus in *Adpend. col.* 255. ubi aliquot lineae: *Adeſt nobis venerabile* &c. praecedunt. 11) *Incipit Omelia in Uigilia Paſche.* Ita: *Domini noſtri iheſu chriſti ſaluatoris et honorabilis ſolemnitas ſua fauente clementia* &c. Emendatius initium dabo in *Homiliario* Sec. XI. verum et ibi fatebor, Autorem mihi compertum non eſſe. 12) *Incipit Omelia Sancti Aguſtini epiſcopi De Prima Die Paſche.* Ita: *Non queo fratres kariſſimi quod mente concipio* &c. Repoſita in *Adpend. col.* 282. 13) *Item Sermo Sancti Aguſtini de Paſcha Domini* Init: *Paſcha chriſti dilectiſſimi regnum eſt caeli* &c. Pariter in *Adpend.* remiſſus *col.* 292. 14) *Omelia Sancti Aguſtini epiſcopi In Natal. Sancti Johannis Baptiſtae.* Init: *Natalem ſancti iohannis fratres kariſſimi hodie celebramus* &c. Denuo ſubpoſititia et nunc in *Adpend. col.* 329. 15) *Incipit Omelia In Natale Apoſtulorum Petri et Pauli.* Ita: *Cum omnes beati apoſtoli parem gratiam* &c. Etiam *Ambroſio* et *Maximo* tributus legitur in *Adpend. col.* 335. 16) *Omelia In Natal. Martyrum.* Init: *Cum omnium ſanctorum martyrum* &c. *Maximi Taurin.* eſt, ut habes edit. *Rom.* 1784. *col.* 261. f. 17) *Incipit Sermo Sancti Aguſtini de Natale Sancti Stephani.* Ita: *Iheſus filius naue in heremo pugnabat* &c. Parum abfuit, quin a *Maurianis* in *Adpend.* rejiceretur; legitur tamen T. V. *col.* 1482. In calce Exempli noſtri habet Formulam Auguſtinianam: *Converſi ad Dominum* &c. 18) *Incipit Alius eiusdem.* Ita: *Quoniam uideo noſtras diſputationes grafio* &c. Et iſte collocatus eſt merito in *Append. col.* 359. lineisque 15. ultimis mulctatus in Codice. Ergo ex tot Sermonibus unicus indubitato genuinus, quem tamen e collatione multum infra editorum perfectionem deprehendi.

LXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 160. 8. per duas columnas nitidiſſime ſcriptus, coloribus illuſtratus, et quondam *Bibliothecae Civicae Vindobon.* eſt *Novum Teſtamentum* praevio *Calendario*, quod, quam infrequens Sanctorum Nominibus, tam repletum rudibus Picturis Signorum Zodiaci et Operum ruſticorum, atque ejusmodi terribiles viſu formae, ad quas nec auro quidem pepercit Miniator, etiam deinceps ad initia ſacrorum Librorum paſſim occurrunt. Placent Verſus ſingulis Menſibus ſubſcripti: R. 3245